



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

LXXV. Differentia 1. Si quis de facto desponsaverit eam, quam de jure non  
potuit desponsare, impediante consanguinitate, ea cum altero fratre  
matrimonium Iure Canonico non poterit contrahere,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## TITVLVS VIII.

## De sponsalibus, &amp; matrimonio.

**M**atrimonium per se contractus civilis est, quo communis vitæ societatem pari consensu vir, & mulier sibi promittunt propter susceptionem proles. Nec plus illi hodie seculari nostri tribuunt, Orthodoxi autem inter sacramenta numerant auctore Christo, & attestante Apostolo, Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo, & Ecclesia. *Ad Ephes. 5. v. 32.* Hic si leges Imperatorum, præsertim gentilium à sacris Canonibus discrepant, mirum videri non potest. Quæ enim communicatio sit luci cum tenebris?

LXXV.

## DIFFERENTIA I.

*Si quis de facto desponsauerit eam, quam de jure non potuit desponsare, impediendo consanguinitate, ea cum altero fratre matrimonium iure Canonico non poterit contrahere, c. Ad audientiam, de sponsal. Secus iure civili, quia impossibile nulla est obligatio, §. Si impossibile, Instit. de iurii. stipul. Bart. 109.*

**I.** Summa citati capituli hæc est: Ex sponsalibus inter consanguineos contractis quamvis nulla sint, impedimentum publicæ honestatis oritur, ita ut mortuo sponso non possit mulier contrahere matrimonium cum fratre ipsius, etiam quando intervenisset iuramentum. *Covarr. de sponsalib. part. 2. c. 6. Reginald. l. 31. n. 136. Sanchez de matrim. l. 7. Disp. 68. n. 9.* ubi addit, impedimentum ex sponsalibus irritis proveniens extendi ad quartum usque gradum: neque hic Pontificem aliquid de gradu disponere, in quo sponsalia irrita producant hoc impedimentum, sed ad casum sibi propositum respondere. Sic olim.

II. Nunc iure novissimo *Conc. Trident.*

*sess. 24. c. 3. de reformat.* definitum est, nullum impedimentum oriri ex invalidis sponsalibus: quod verò ex validis nascitur, primum consanguinitatis gradum non excedere.

III. Contrarium legibus Cæsaribus expressè dictum esse non videtur: nec *Bartolus* aliud, quàm generalia quædam axiomata citat, quorum in particularibus sæpe nullus est usus. Et posito, textum formalem existere, inter non entia numerabitur propter defectum potestatis, quæ ad constituendum aliquid circa matrimonii valorem in seculari Magistratu nulla est, quemadmodum supra ostendimus.

LXXVI. DIF.